

voraus; und es werden dadurch weder die Diözesan=Ritualien, noch die in ihnen enthaltenen und auf alte Gewohnheit sich stützenden Benediktionen verboten. S. L.

Dekrete der S. Congregatio Rituum.

Die *Analecta juris pontificii* vom Jahre 1860 theilen im November- und Dezemberhefte S. 323 flg. einige Entscheidungen der S. C. R. auf Anfragen des Erzbischofes von Granada in Spanien mit, aus welchem wir folgende herausheben.

Dubium IX. Pontificale Rom. in titulo de ordinatione presbyteri prope finem preces designat ab Episcopo ordinante singulis ordinandis injungendas, deque subdiaconis et diaconis loquens sic ait: „Ad subdiaconum et diaconum (promoti) nocturnum talis diei.“ Super hujus clausulae genuino sensu theologi non consentiunt, quin potius in diversas abeunt sententias. Ut ergo quid certi tenendum sit pateat, orator ab hac S. Congr. petit:

- I. Utrum per nocturnum, talis diei necessario intelligi debeat totum officium nocturnum de tempore, sive matutinum et laudes ejus diei, in qua Ordines conferuntur, sive unum nocturnum habeat, ut in sabbatis quatuor temporum et in sabbato passionis, sive tres ut in Sabbato s. et in festis et dominicis, in quibus ordines extra tempora conferuntur; an vero in hoc casu matutinum de tempore absque laudibus intelligendum veniat?
- II. Utrum in potestate Ordinantis sit, injungere unum tantum nocturnum, quem maluerit, sive officii de tempore sive de sanctis, quod ipsa die occurrat?
- III. Utrum injungere possit unum nocturnum de officio defunctorum vel parvo B. M. V. vel de alio Sancto?

IV. Quando Episcopus ordinans nihil aliud exprimit, quam quod verba pontificalis sonant, utrum in potestate Ordinatorum sit recitare tantum vel unum nocturnum de tempore ejus diei, in qua ordines receperunt, vel quemlibet alium nocturnum sive de tempore sive de Sanctis illius diei, in qua preces injectas adimplere voluerint?

Die 11 Aug. 1860. S. R. C. respondit ad dub. IX: Quoad 1^{am} quaestionem: verba Pontificalis Rom. „Nocturnum talis diei” intelligi de unico Nocturno feriali vel de primo dominicae ut in psalterio, id est, duodecim psalmorum cum suis antiphonis de tempore, quem episcopus ordinans designare potest, vel ipsius diei, quo habet ordinationem vel alterius pro suo arbitrio. — Quoad 2^{am} quaestionem: provisum in prima. — Quoad 3^{am} quaestionem: provisum in prima. — Quoad 4^{am} quaestionem: dicendum nocturnum feriale (vel primum dominicae) ut supra, qui respondeat illi diei, in quo facta est s. ordinatio.

Im September und Oktoberhefte S. 217.

Nicotoren. et Tropien. resolutionis dubiorum.

Dub. I. An praecisa consuetudine, inter functiones pontificales, quae absente vel impedito Episcopo, spectant ad primam dignitatem, sint etiam accensendae commemoratio fidelium defunctorum et officium feriae sextae in Parasceve?

Dub. II. An functiones Pontificales praememoratae sunt illae tantum, quae recensentur cap. 1. et 34. libri II. Caeremonialis Episcoporum, prout ex declarationibus istius S. R. C. diei 7. Aprilis 1696 et 22. Junii 1697 in Abellinen. et diei 7. Dec. 1771 in Hydruntina praeeminentiarum n. 9. clarissime eruitur; vel potius illae omnes, quae in una Andrien. diei 3. Dec. 1672 nominatim designantur?

S. R. C. rescripsit: In voto consultoris. Die 11 Aug. 1860.

Votum consultoris: Ad primum: Negative. Ad secundum: Provisum in primo vel potius ad secundum: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.